

Omnes de natura Saturni & Veneris.

B. *Peregrina Anno post Christum natum, M. D. LXXII.* primùm ad V. Id. Non. animadversa, Veneris stellam quantitate visibili æquabat. Per Decembrem Jovis sidus ferme emulabatur. Jannario Anni LXXIII. Jove paulò minor, stellisque fulgentioribus primi ordinis, aliquanto major fulsit, quibus in Febr. & Martio æqualis extitit, sic Aprili, & Majo, stellis secunda magn. successive ita decrescendo per Junium. In Julio & Augusto, tertia quantitatatis par fuit. In Octob. & Novemb. undecimæ Cassiopeæ stellæ non dispar cernebatur. In fine anni & Jannuario seq. stellas quinta formæ vix excedebat. In Febr sextas, & minimas adumbrabat donec ultimo mense Martio, ad eò exilis reddita sit, ut conspici ulterius prorsus desineret; nec colorem insitum eundem semper exhibuit. Tycho Brabe progymn. fol. 301. Latitudinem habuit P. 53. S. 55. aliis 45. Longitudinem P. 36. S. 54. dodecatemorii Tauri. Stabat limbo lacteæ viæ Boreæ affixa, ut cum stellis tertiæ formæ, α , β , γ . rhombum effingeret ferè perfectum. Cum nullam habuerit paralixin, secundum proprium locum in princio, id est Novembri, major fuit terra $361\frac{1}{2}$. Sole verò $\frac{2}{3}$. cujus amplitudo, terræ globum, non ampliùs quàm 139. ut summum 140. superat, & hoc ex probabiliori recentiorum sententiâ. **C.** Persei gladius seu Harpe. **D.** Circulus Arcticus, nobis per polum zodiaci, circa mundi axem ductus; veteribus erat circulus per intersectionem Meridiani, & Horizontis, quem semper attingebat, indefinitæ magnitudinis circa dimeipientem descriptus. **E.** Colurus Arietis & Libra. Hæc constellatio, (ut & aliæ plures) nobis nec oritur nec occidit; caput Messana Siciliæ incipit descendere, Peregrina Cayiri seu Babyloniæ novæ stringebat Horizontem.

TABU-